

mori, quam virginitatis decus perdere constantissime elegit. Virginitatis ergo martyr, et virgo martyrii obit annos 24, anno Christi 1484, die 4 martii, qua pariter die et anno, Romæ pontificatu et vita functus est Sixtus IV, Pontifex Maximus. Quocirca S. Casimirum Leo X in Sanctorum numerum retulit, et Clemens VIII ejus memoriam duplicis celebritatis officio in Polonia frequentandam præcepit, utpote quem Deus multis insignibus miraculis illustravit, ac nominatim memorabili victoria, qua pauci Lithuani ingentes Moscorum copias, voto facto a B. Casimiro, apparente ipso in aere quasi duce prævio, ad interfectionem deleverunt. Ita habet ejus Vita, et Breviarium Polonicum die 4 martii. Unde apostate Casimirus per anagramma idem est quod, *sum eo iris*, in quam scilicet irradians sol justitie Christus in Eucharistia, snum et castitatis fulgorem efflavit. Rursum Casimirus, quasi *eadis mirus*, quia pro castitate occubis. Quare poeta polonus de eo cecinit :

Sponte cadis, sed amore cadis, Casimire, pudoris.
Mirus, te Christo militante, cadis.

Denique voces « frumentum et vinum germinans virginis », significant nos non posse vitam spiritualem agere, nec diu perseverare in gratia Dei, ac præsertim in virginitate aut castitate sine Eucharistia, sicut non possumus vitam naturalem sustentare sine frumento, cibo et potu; rursus quo crebrius Eucharistiam sumimus; eo magis nos in spiritu et puritate angelica crescere et roborari, sicut per cibum frequentem crescimus et roboramur in vita animali. Quocirca primi fideles « quotidie perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem (Eucharisticum) sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis, collaudantes Dominum, et habentes gratiam ad omnem plebem, » Actor. cap. ii, 46.

Hæc de causis olim baptizatis mox a baptismo dabatur S. Eucharistia, quasi symbolum, alimenta et perfectio christianismi. Docet hoc S. Clemens I Pontifex, epist. 3 De Officio sacerdot. et cleric. Et S. Dionysius Areopagita, lib. De Eccles. Hierarch. cap. De Baptismo : « Ducunt, inquit,

baptizatum ad Hierarcham; is cum virum unguento (in sacramento confirmationis) quod maxime divinos efficit, insignivit, Eucharistiam, quæ vim maximam habet perficiendæ sanctitatis, participem esse pronuntiat. » Ita in Actis SS. Processi et Martiniani, quos S. Petrus in carcere convertit et baptizavit, dicitur : « Baptizati sunt promiscui sexus, et diversæ ætatis numero 47. Obtulit autem (S. Petrus) pro eis sacrificium laudis, et præcipue eos fecit corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi. » Idem legitur in Actis S. Getulii, Corentis, Pelagii, aliorumque martyrum. Hinc Tertullianus lib. I Cont. Marcion. eum redarguit, quod cum iisdem quibus Ecclesia cæremosis uteretur, diversum tamen ab ea in fide sentiret : « Ille, inquit, usque nunc nec aquam reprobat creatoris, qua suos abluit, nec oleum quo suos ungit, nec mellis et lactis (quæ olim baptizatis dabantur) societatem qua suos infat, nec panem quo ipsum cor suum representat. » Idem testatur S. Ambrosius, lib. De iis qui innotant myster. cap. viii : « Depositis, inquit, involerati erroris exuvilis, renovata in aquile juventutem, celeste illud festinat adire convivium. Venit igitur, et videns sacrosanctum altare compositum, exclamans ait : Parasti in conspectu meo mensam. » Duravit hic mos usque ad annum Domini nongentesimum. Illo enim visit Theophilus, qui eundem tunc perduisse scribit commentans in cap. x S. Luca : « Quotidie, inquit, qui baptizantur liberantur a vulneribus animæ, oleo quidem unguenti uncti, statim autem communicant divini sanguinis participes fiunt. » Idem mos etiamnum durat in Græcia et Æthiopia. Jeremias enim Patriarcha Constantinopolitanus, qui nuper in Græcia floruit et hæreticis nostris restitit, respons. I, cap. ii : « Rationi, ait, consensum est baptismo et chrisma subungi, nec in tempus deferri, sed baptizatum continuo illius verendæ communionis participem fieri. » De Æthiopiis constat ex Rituali baptismi eorumdem, in quo hæc legitur : « Postea sumunt S. Sacramentum et vivificans, sponte sacerdotis pro eis, corpus scilicet et sanguinem venerandum Domini Dei, ac redemptoris nostri Jesu Christi. » Eucharistia ergo est frumentum juvenes vegetans, et vinum virginis germinans

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet pluviam et fruges terræ a Deo postulanda, non ab idolis, utpote ob quæ vastati in captivitatem abstracti sint. Mox promittit se daturum heroes Machabeos, qui sua virtute, probris et victoriis Judæam illustrabunt, et propugnabunt, adeo ut ad eam turnatim redeant Judæi et Israelitæ per Ægyptum et Assyriam dispersi; ac confortati protectique a Deo omnia maris et terræ pericula feliciter fortiterque superent, donec in Judæam perveniant, ubi sub tutela Dei quietam et securam vitam agent. Ita Hebræi, S. Hieronymus, Theodoretus, Albertus et Hugo. Mystice, significatur fortitudo et felicitas Apostolorum, qui Ecclesiam Christi propagabunt et propugnabunt, adeo ut ad eam conflant tam Judæi, quam Gentes, omniâque itinerum mari terraque persecutionum, tentationum et hostium obstacula generose transcendant. Ita S. Hieronymus, Remigius, Rupertus et Lyranus (1).

1. Petite a Domino pluviam in tempore serotino, et Dominus faciet nives, et pluviam imbris dabit eis, singulis herbas in agro. 2. Quia simulacra locuta sunt inutile, et divini viderunt mendacium, et somniores locuti sunt frustra : vane consolabantur : idecirco abduci sunt quasi grex : affligentur, quia non est eis pastor. 3. Super pastores iratus est furor meus, et super hircos visitabo : quia visitavit Dominus exercituum gregem suum, domum Juda, et posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello. 4. Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus praelii, ex ipso egredietur omnis exactor simul. 5. Et erunt quasi fortes conculeantes lutum viarum in prælio : et bellabunt, quia Dominus cum eis, et confundentur ascensores eorum. 6. Et confortabo domum Juda, et domum Joseph salvabo : et convertam eos, quia miserere eorum : et erunt sicut fuerunt quando non projeceram eos : ego enim Dominus Deus eorum, et exaudiam eos. 7. Et erunt quasi fortes Ephraim, et lætabitur cor eorum quasi a vino : et filii eorum videbunt, et lætabuntur, et exultabit cor eorum in Domino. 8. Sibilabo eis, et congregabo illos, quia redemi eos : et multiplicabo eos, sicut ante fuerant multiplicati. 9. Et seminabo eos in populis, et de longe recordabuntur mei : et vivent cum filiis suis, et revertentur. 10. Et reducam eos de terra Ægypti, et de Assyrii congregabo eos, et ad terram Galaad et Libani abducam eos, et non inveniatur eis locus : 11. et transibit in maris freto, et percutiet in mari fluctus, et confundentur omnia profunda fluminis, et humiliabitur superbia Assur, et sceptrum Ægypti recedet. 12. Confortabo eos in Domino, et in nomine ejus ambulabunt, dicit Dominus.

vers. 1. 1. PETITE A DOMINO PLUVIAM IN TEMPORE SEROTINO. — Ita Hebræa, Chaldaica et alii. Verum Septua-

(1) Continetur hoc capite continuatio felicitatis conditionis Judæorum, quæ Antiochi Epiphani persequentes exepiet. Et quidem versus primus intime coheret cum ultimo præcedentis capituli : agit enim de libertate regionis. A Deo tempestas fragibus ferendis idonea petenda est. Sequitur deinde, ut recto notat Cornelius, prophetia in sensu litterali de victoriis Judæorum, quas præcipue reportabant posteri civium regni Juda. Sed in sensu quem præcipue intendit Propheta, pergit, ut ait et ipse Rosenmüller, in describenda felicitate et gloria, qua Messiano ævo populus hebræicus gaudet.

In eo igitur sensu continuatur etiam argumentum cap. præced., scilicet consilium divinum circa religionem Christi, nam quod gentes Palestinæ vicinas; secundo, quod Hebræos Palestinæ incolas (cap. ix, 1-17).

ginta per 24 in tempore, accipiunt pluviam matutinam; unde vertunt : Petite a Domino pluviam opportunam, matutinam et serotinam. Pluvia matu-

Textus, quoad gentes per Apostolos instruendas : quas monet primo, de postulanda a Deo vera doctrina, et non ab idolis et divinis mendaciis : nam qui ab illis opem quaesiverunt, superstitionum penas tristi et ignominioso exilio inaruit, 1, 2; secundo, de pseudoprophetarum et magistrorum punitione, 3; tertio, de Christi et Apostolorum regia potestate, sacerdotio, fortitudine et victoriis, 4, 5.

Quarto, quoad Hebræos per orbem dispersos, quorum promittuntur, primo, conversio cum amolitione impementorum, 6, 7; secundo, collectio in hunc finem cum multitudine, 8; tertio, deductio ad beatitudinem per miracula, prioribus liberationem ex Ægypto cumiantibus similia, 9-12.

lina, sive temporanea, id est tempestiva, in Palestina dicitur; quae tempestive et mane, id est tempore seminis in octobri, depluit ad riganda semina: serotina, quae sero, id est tempore messis imminens, in aprili depluit ad incrassandas et maturandas segetes, ut dixi *Osse* VI, 3. Jabet ergo hic Deus Judeis, ut pluviam agros fecundantem, non a mutis et evanidis idolis, sed a se, velut creatore et gubernatore universi, ac datore omnis boni postulent. Ita Hebraei, Theodoretus, Albertus et alii. Videtur haec propheta edita a Zacharia post tempus seminis in hieme: quia jubet peti pluviam serotinam duntaxat, non matutinam, quasi ejus tempus jam transisset.

Physice et rustice hic nota, agris et frugibus per hiemem condicere serenitatem, sed adulto vero (quod proxime aestatem attingit) isdem necessariam esse pluviam, qua alantur et adolescant. Unde Macrobius lib. V *Satum*. cap. XX, priscum hoc vulgare carmen rusticum citat:

Hiberno pulvere, verno lato, grania ferra, Camille, metes.

Mystice, per pluviam significatur doctrina: haec enim mentes rigat et fecundat, uti pluvia terram et germina, juxta illud *Deuter.* XXXII, 1: «Concrevit in pluviam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.» Pluvia matutina fuit lex Mosis, et doctrina Prophetarum, quae prima fidei et virtutis apud rudes Judeos dedit semina: serotina est lex et Evangelium Christi et Apostolorum, quae perfectam docet fidem et virtutem. Ita S. Cyrillus, S. Hieronymus, Remigius et Rupertus. Porro hic tantum serotinam a Deo petendam monet, quia temporaneam jam habuerant, *q. d.* Vos, o Judei, accipistis a Mose legem veterem, quasi pluviam matutinam: postulate nunc a Deo legem Evangelicam quam afferet Christus, quasi pluviam serotinam, quae vos ad veram perfectamque justitiam et felicitatem perducat.

ET DOMINUS FACIET NIVES. — Pagninus, Mariana, Ribera, Sanchez et alii censent legem *quod nubes*, non nives. Verum Biblia Romana et alia passim, quin et S. Hieronymus in *Comment.*, constanter legunt *nives*, non *nubes*. Hebraice est vox חֶלֶב *chaziz*, id est visio, apparentia, candor, splendor, fulgur, coruscatio. Septuaginta vertunt, *phantasias*, id est coruscationes et fulgetra, inquit Cyrillus et Theodoretus, eo quod subito appareant et dispareant, uti phaenomena aerea, et quia prius videtur fulgur, quam audiatur tonitruum, cum tamen collisio nubium et tonitruum sit prior, imo causa fulguris. Chaldaeus vertit, *ventos*; Pagninus *coruscationes*; Tigurina, *emissiones*; alii, *fulgetra*; Noster, *Job* XXVIII, 28, vertit, *procellas*: quia fulgur et tonitruum procellam et pluviam vehementem afferunt. Hic recte vertit, *nives*: Hebraeum enim *chaziz* deducitur a חָזָה *chaza*, id est videre; unde *chaziz* est res visibilis perstringens oculos, quasi est lux et coruscatio, ac candor coruscus: nix ergo, quia candore et splendore suo micat,

coruscant feritque oculos, eosque perstringit, hinc recte vocatur *chaziz*. Addebat Heraclitus nivem esse *chaziz*, id est visionem et apparentiam, eo quod revera non sit candida, sed candida nobis videatur. Verum hoc est ejus paradoxum. Insuper *chaziz* potius significat nives, quam nubes: proprie enim significat splendendum quid et coruscum feriens visum, quales sunt nives, non nubes. *Chaziz* ergo significat subinde nubes, non qua nubes, sed qua coruscantes et fulgurantes. Unde Chaldaeus, *Job* XXXVIII, 28, pro eo quod nos habemus: «Viam sonantis tonitruum,» Hebraeus *chaziz* vertit: *Viam nubibus qua deiciunt aquam cum tonitruis et fulguribus.*

Dices: Tempore pluviae serotinae, puta in aprili et vere, non sunt nives, sed nubes. Respondeo, sensus hujus versus est, *q. d.* Post pluviam matutinam, id est post semenem jactam in autumnum, petite a Deo ut det pluviam pro tempore serotino, quae eam ad spicas et grana deducat, ac Deus postulatis vestris annuens vota vestra superabit. Nam dabit in hieme nives, quae semina vestra tegent, radicabunt et fecundabunt; ac deinde in vere dabit imbrem serotinum, simulque nives quae in Libano, Carmelo, aliisque Judaeae montibus reliquae sunt (ut sunt in Alpibus, et in Apennino toto anno) liquabit et resolvit in aquam, quae in valles camposque Judaeae decurrens, segetes vestras rigabit et impingabit. Unde Septuaginta vertunt: *Pluviam hiemalem dabit eis*. Porro nives terram diu obsidentes eam fecundare, et copiam dare frugum, experientia constat. Unde vulgi est axioma: «Annus nivium est annus frugum.» Causam dat Plinius lib. XVII, cap. III: «Vota arborum communia sunt frugumque nives diutinas sedere. Causa, non solum quia animam terre evanescentem exhalatione, includunt et comprimunt, retroque agunt in vires frugum atque radices; verum quod et liquoris sensim praebent, purum praeterea levissimumque quando nix aquarum coelestium spuma est. Ergo humor ex his non universus ingurgitans diluensque, sed quomodo sistrum distillans, velut ex ubere alit omnia quae non inundat: tellus quoque illo modo fermentescit, et succi plena, ac lactescens nivium satis non efficit, cum tempus aperit, tepidus aridat hortis.»

Sic symbolice, annus vel dies tribulationum est annus vel dies meritorum et virtutum. Nam tribulationes faciunt, primo, ut homo ad externa se non effundat, nec in sui aestimatione evanescat. Secundo, ut convertatur ad eor secundumque habitet, ac in eo profunda patientiae, humilitatis, charitatis aliarumque virtutum ligat radices. Tertio, eas irrigat piis et coelestibus cogitationibus, quas vel tribulatio suggerit, vel Deus immitit de vanitate et miseris mundi, de felicitate gloriae coelestis, de metu iudicii, gehennae, etc., de dignitate crucis, fortitudinis, patientiae, etc.

Mystice, Apostoli et praedicatorum sunt חַיִּים Apostoli

chazizim, id est, primo, nives, tum quia sicut nives terram sua irrigatione, ita ipsi homines sua doctrina compleverunt, fecundarunt, leificarunt, et ab aestu concupiscentiae refrigerarunt, juxta illud *Prov.* XXV, 13: «Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei qui misit illum.»

Secundo, sunt *chazizim*, id est nubes gravidae et coruscae, quae copiosum dant imbrem sapientiae et spiritus, ut germinarent et producerent fruges virtutum, juxta illud *Isai.* V, 6: «Nubibus mandabo ne pluant super eam imbreum.» Et *Psal.* CXVI, 1: «Nubes et caligo in circuitu ejus.» Vide utrobique S. Hieronymum.

Tertio, sunt *chazizim*, id est venti, ut vertit Chaldaeus, quia ut venti celerissime discurrerunt evangelizando per totum orbem, quasi angeli Dei, de quibus ait Psaltes et Apostolus *Hebr.* I, 7: «Qui facit angelos suos spiritus (id est ventos) et ministros suos flammam ignis.»

Quarto, sunt *chazizim*, id est procellae, quae dura hominum corda terrore concusserunt, ac pondere minarum ire Dei, iudicii et gehennae straverunt et contriverunt, juxta illud *Job* XXVIII, 28: «Quando ponebat pluviam legem et viam procellis sonantibus.»

Quinto, proprie sunt *chazizim*, id est fulgura tonantia, et tonitrua fulgurantia, quia tonuerunt ore, fulgurarunt vita (quod de S. Basilio ait Nazianzenus), ac divinis irradiationibus mentes hominum perstringerunt, illuminarunt atque inflammaverunt. Ita S. Jacobus et S. Joannes a Christo vocati sunt Boanerges, id est filii tonitruum, id est fulmina, sive tonantes et fulminantes, *Mark.* III, 17.

ET PLUVIAM IMBREM DABIT EIS. — Alii vertunt: *Pluviam pluviam, vel imbrem imbris*, hoc est pluviam uberem, imbrem copiosum dabit eis. Septuaginta vertunt: *Pluviam hiemalem dabit eis*; hiemalis enim est copiosa, aequae ac refrigerans. Atque ex hac pluvia dabit *singulis herbam in agro*, Chaldaeus: *Ut det eis frumentum ad comedendum, et herbam jumentis in agro*; Hebraeus: *Dabit eis viro*, id est cuique, *herbam in agro*. Est enallage personae; transit enim a secunda ad tertiam. *Eis* ergo, id est vobis, puta cuilibet vestrum, sive singulis: ita Vatablus.

Mystice, *q. d.* Deus omnibus petentibus dabit herbam, sive germina salutis in cordibus; quia eis inspirabit piis cogitationes, affectiones, impulsus, desideria, etc., quae quasi germina producent copiam frugum bonorum et heroicorum operum.

VERS. 2. QUIA SIMULACRA, (\rightarrow) quia dat causam cur pluvia et fertilitas terrae a Deo petenda sit, non ab idolis, nec a divinis, quos Judaei solebant consulere, praesertim ante captivitatem Babylonicam, inquit S. Hieronymus. Causa est), QUIA SIMULACRA LOCUTA SUNT INUTILE, etc. — *q. d.* Simulacra non prosunt, sed obsunt; damnum afferunt, non utilitatem. Nam demones, de rerum copia vel inopia consulti, per ea dant responsa inutilia, imo falsa

et noxia. Unde Septuaginta vertunt: *Quoniam hi qui loquebantur locuti sunt labores et dolores*; Chaldaeus: *Quoniam cultores simulacrorum loquebantur rapinam*. Hebraeum enim רַפִּין *rafin* significat inutile, vanum, iniquitatem, rapinam. Demones enim cum ardeant livore et studio nocendi hominibus, consulti solent suadere rapinas et scelerata, quasi per ea homines deos suos sibi sint conciliaturi, et ab eis copiam frugum, vel id quod postulant impetraturi. Idem faciunt eorum ministri et interpretes, puta magi et divini. Unde de his subdit: «Divini viderunt mendacium.» Septuaginta: *Visiones falsas*; Chaldaeus: *Divinae prophetant falsitatem et vane consolantur*. Experientia docet eos qui demones consulunt per magos et divinos, vanam, imo maxime noxiam consolationem percipere, quia pro modico bono quod demones eis largiunt, ingentes clades et damna mox inferunt, tum anime, tum corpori eorumdem, uti multis exemplis docet Delrio in *Magis*.

ET SOMNIIATORES. — Ita vocat divinos qui ex somniis divinabant, vel sui somnia pro oraculis venditabant. Unde Hebraei ad verbum Pagninus et Tigurina sic vertunt: *Divini viderunt mendacium, somnia vana locuti sunt*; Septuaginta: *Divini visiones falsas et insomnia falsa loquebantur*; Chaldaeus: *Pseudoprophetae in prophetia sua falsa mendacia loquebantur*.

INCIRCO ABDUCTI SUNT QUASI GREX. — Ita Romana, *q. d.* Quia Judaei nuper fidem adhibuerunt simulacris, divinis et somnatoriibus, incirco abducti sunt captivi velat grex ovium in Babylonem.

AFFLIGENTUR, QUIA NON EST EIS PASTOR, *q. d.* Ibi qui afflicti sunt et quasi praedicte dati lupis, puta Chaldaei, quia carebant vero pastore qui eos tutaretur, ac sequebantur hosce divinos et somnatores, qui erant praedicatorum, viso lupo fugientes ovesque ei tradentes. Unde Chaldaeus vertit: *Ideo dispersi sunt sicut disperguntur oves; translati sunt, quia non est eis rex* (1).

Mystice, *q. d.* Ideo Judaei abducentur, quia non habuerunt verum pastorem: scilicet Christum, sed falsos et mendaces, quales fuerunt Scribae et Pharisei tempore Christi, contra quos delonavit Christus *Matth.* XXIII, Q. oecrea.

(1) Hanc explicationem S. Hieronymi juxta quam propheta de praeteritis idololatriam quam ut pena excepit Babyloniae captivitas, plurimi interpretum sequuntur; alii tamen cum Calaneo stantur, haec optime convenire temporibus Machabeorum, quibus reges Syriae non more pastorum Hebraeos subditos tractarunt, sed potius oppresserunt; uti etiam in praecedentibus membris istius divinationes, quibus emissarii Antiochi Epiphanis, et apostatae Judaei ad idololatriam allicere cultores veri Dei conabantur, commemoratae sunt. Quae ex his duobus interpretationibus preferenda sit, ait Ackermann, ex sequentibus sine difficultate cognoscatur. Noster Iosephus Cornelianus secundum esse antepensionem iudicium in interpretatione, vers. 3, ubi de Machabeorum temporibus hic agi fatetur.

Vers. 2.

2. SUPER PASTORES IRATUS EST FUROR NEUS (q. d. Puniam hosce pseudopastores, qui perdidit gregem populi mei (1). Et super (Votabulz, contra) hircos visitabo. — Idem dicit alia metaphora: pseudopastores enim vocat hircos, tum ob feridos et hircinos mores, tum quod hircos sibi similes, id est homines ecclesios verbo et exemplo gerent, eisque ad omne nefas quasi duces preierit, sicut hirci preerunt capras et hircos.

QUA VISITAVIT DOMINUS EXERCITUM GREGEM SUUM DOMUM JUDA. — Vox visitavi hic contrarie sumitur. Nam: « Super hircos visitabo, » idem est quod hircos, id est duces et pseudopastores puniam, super ipsos manum vindicem extendam, acresque plagas dorso eorum infligam. Hic autem: « Visitavit Dominus gregem suum, » ut eum teatur, et ex eo constituat duces qui eum propugnent. Unde sequitur:

ET POSUIT EOS QUASI EQUUM GLORIE SUE. — q. d. Quia hi falsi duces et pastores perdidit gregem meum, hac de causa Deus eum visitabit, ex eoque constituet veros principes et pastores, eoque gradu dignos, puta Judam Machabaeum ejusque fratres, qui quasi equi generosi Dei, ad bella pro populo procedant, ac illius hostes, puta Antiochum ejusque chiliarchas, proficient. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Hugo et alii.

Dices: Judas et Machabaei fuerunt oriundi ex tribu Levi, non Juda: fuerunt enim sacerdotes et pontifices, qui omnes descendunt ex Levi, ut patet I Machab. II, 1. Respondent aliqui eos patrio genere descendisse ex Levi, sed materno ex Juda. Verum dico Judam hic et alibi vocari totam gentem Judaeorum, prout distinguitur ab Israele et decem tribubus, quae a Juda fecerunt schisma. Haec autem gens commixta erat ex tribu Juda, Levi, Benjamin et ceteris, sed a potiori parte vocata est Juda, praesertim quia Judae promissum et datum est seipsum usque ad Christum a Jacobo patriarcha Gen. XLIX, 10. Machabaei ergo oriundi ex Levi dicuntur prodituri ex Juda, id est ex gente Judaica, non autem ex tribu Juda.

Mystice, Judaei et Machabaei nostri sunt Christus et Apostoli, qui ex Judaeorum stirpe prognati, quasi generosi equi praedium inierunt cum regibus, principibus, philosophis, totoque mundo infideli, eumque protiverunt, sibi que et Christo subjeecerunt: ita Remigius, Haymo et Lyranus. Unde et Chaldaei vertit: *Ex ipso rex ejus: ex ipso magnificabantur omnes gubernatores ejus simul.*

Porro « equus gloriae, » id est gloriosus, speciosus, decorus, illustris, ut veritè Syrus, ac promptus et strenuus in bello, ut veritè Arabicus, insigne est hieroglyphicum apostoli et viri apostolici, qui quasi equus ubique Christum sessorem,

Apostoli sunt equi gloriae Christi.

(1) Pastores vel reges Judaei infensi sunt Antiochus Epiphanes et successores ejus; hirci vero magistratus ab eis constituti.

tanquam equitum infidelitatem et vitia sternentem, reges et principes subjungentem, animose circumferat, ita ut nullis laboribus defatigetur, nullis periculis, terroribus, hostibus, difficultatibus cedat, sed omnia generose transilit et subigat, juxta illud quod de equo bellico ait Job, cap. xxxix, 20: « Gloria narium ejus terror. Terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis: contemnit pavorem, nec cedit gladio, » etc. Qualis fuit Bucephalus Alexandri Magni, quo ipse in praелиis utebatur, et vineabat, de quo Plinius lib. VIII, cap. xli: « Eidem Alexandro, inquit, et magna equi raritas contigit. Bucephalon eum vocarunt, sive ab aspectu torvo, sive ab insigni turrim capitis armo impressi. Sedecim talentis fuerunt ei Philonici Pharsali grege emptum. Neminem hie alium quam Alexandrum, regio instratus ornatu recepit in sedem, alios passim rejiciens. Idem in praелиis memorate cujusdam perhibetur operæ, Thebarum oppugnatione vulneratus, in alium transire Alexandrum non passus, multa praeterea ejusdem modi, propter quae rex defuncto ei duxit exsequias, urbem tumulo circumdedit nomine ejus, » scilicet quam a Bucephalo Bucephaliam appellavit. Porro S. Gregorius, lib. XXXI Moral. cap. xi, et sequent. verba Jobi explicans: « Equus, inquit, est praedicator qui habet fortitudinem, quia adversa constanter tolerat. Habet hincitum, quia ad superna blandiens vocat: equo suo Dominus et cum actionis fortitudine hincitum vocis, et cum hincitum vocis fortitudinem ministrat actionis. Terram ungula fodit, id est, quidquid in mente sua terrenum versari conspiciit, hoc nimirum superduae penitentiae duris percussioibus rumpit. » Addit talem equum gloriae Dei fuisse S. Paulum, ac pergit: « Equus Dei exultat audacter, et exteriora tormenta non metuit, quia internam delectationem quaerit: potestatum mundi iracundiam non formidat, quia ipsis quoque vitae praesentis desiderium per mentis excessum calcat. In occursum pergit armatis. Intueri libet illum sessoris sui calcantibus exultantem contra armatos hostes, quantus Paulum fervor accendat, quando eum Ephesi ad irrumpendas theatri turbas zeli flamma rapiebat, Actor. xix, et Actor. xxi: Ego, inquit, non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Domini Jesu. Contemnit pavorem, nec cedit gladio. » Ait enim Rom. viii: « Quis nos separabit a charitate Dei? Tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio? » Haec et plura S. Gregorius. Quid nos ad haec? Equi, non Trojani, sed Sejani, imo ex equis pigri, tardigradi et iniquae sortis aselli. Sejanus equus fertur suos heros et sessores, Sejum, mox Dolabellum, deinde Cassium, denique Antonium perdidisse; ita nos Christi regnum crebro perditum potius quam propagatum. Vide quae de equo candido, ejusque sessore Christo dixi Apoc. vi, 2.

EX IPso (scilicet Juda, prodibit) ANGULUS. — Ita

legendum cum Hebraeo, Chaldaeo et Romanis; perperam ergo in nonnullis Bibliis legitur *angulus*. Porro *angulus* metaphoricè vocatur princeps, qui rempublicam continet, stringit, prospicit et roborat, uti angulus utrumque parietem in domo. Ita S. Hieronymus. Vide dicta *Isaie* xix, 13. Rursum angulus metonymicè vocatur turris, quae in angulis murorum erigi solet ad domus, arcis, vel urbis tutelam, juxta illud *Sapient.* I, 13: « Dies tubae et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos. » Turris autem notat principes, de qua *Cant.* iv: « Mille clypeo pendunt ex ea. » Ad litteram angulus hic, id est princeps et Juda prodicens, fuit Judas Machabaeus, allegorice Christus et Apostoli. Christus enim est lapis angularis domus Dei, id est Ecclesiae, qui utrumque parietem, id est Judaeos et Gentes, continet, et cui quasi fundamentum tota Ecclesiae fabrica inculmit et innititur, ut docet Apostolus *Ephes.* II, in fine capituli.

Vers. 4.

4. EX IPso PAXILLUS. — Idem dicit alia metaphora. Princeps enim in republica est id quod angulus in fabrica, et quod paxillus in pariete, ex quo arma et vasa quaelibet suspensa pendent, ita a principe omnis populus pendet, regitur et sustentatur. Sic Eliacim vocatur *paxillus*, *Isai.* xxii, 23. Ita a Machabaeis pendeat populus judaeus, a Christo et Apostolis populus christianus.

Principis est angulus, paxillus, et arcus paxilli.

EX IPso ARCUS PRAELII. — Est hic tertia metaphora. Sicut enim principem paulo ante vocavit angulum et paxillum, ita hic vocat arcum praedium, qui scilicet fortiter pro populo depugnet, ejusque hostes arcu suo et suorum prostermat, uti ad litteram fecit Judas Machabaeus; mystice Christus et Apostoli. S. Hieronymus vero haec tria ita distinguit: « Ex ipso angulus, » id est ex Juda et Judaeis, inquit, prodibit regia potestas; habuerunt enim Davidem, Salomonem et posteros eorum reges: « Ex ipso paxillus, » id est sacerdotum: « Ex ipso arcus praелиi, » id est fortitudo bellica, puta fortes milites et duces. Haec enim tria, puta regnum, sacerdotium et militia, sunt robur, firmamentum, deus et gloria cujusvis reipublicae, aequae ac Ecclesiae.

EX IPso EXERCIETUR OMNIS EXACTOR. — Septuaginta, *abactor*; Chaldaeus, *gubernator*; Pagninus, *praefectus*, qui scilicet exigit tum vectigalia, tum jura et obsequia a subditis, vel hostibus subactis principum reipublicae, aut Deo debita, qualia sunt religio, cultus Dei, legum observantia. Tales fuerunt Machabaei, sed maxime Christus et Apostoli. Exactor enim proprie est victor, indeque princeps, qui vicis et subditis imponit leges, onera et tributa, quod proprie compellit Judae Machabaeo, et magis Christo (1).

(1) *וְצִי נִשְׁבַּח* quidem ordinariè occurrit in significationem exactoris, tyranni, vel feneratorum et pecuniam exigentis, sed cum beneficiam sit quod hic promittitur, alii, possente materia substrata, *rectorem* ac

Moraliter, discant hic principes, magistratus, prelati, se debere prestare in republica collegio vel congregatione cui praesunt, primo, quod angulus praestat in domo, scilicet ut eam feliciam, stringant, nutiant; secundo, quod paxillus praestat in pariete, ut ejus adinstar firmi et immoti alios firmet et sustentent, ita ut ab eis pendent summi, medii et infimi; tertio, quod arcus praestat in praelio, ut, sicut ille abigit sternitque hostes, sic illi rempublicam defendant et propugnent, ab eaque omnes hostes arceant et abigant; quarto, quod exactor praestat in telonio aut debito, ut scilicet constanter urgeant disciplinam et custodiam legum, tum divinarum, tum humanarum, eamque si collapsa sit, restituant et instaurant, etiamsi multorum odia sint subeunda, et vulgi levitati sepe resistendum. Ita impletur in eis illud *Isai.* LVII, 12: « Et edificabuntur in te deserta saeculorum, fundamenta generationis et generationis suscitabis, et vocaberis edificator sapium, avertens semitas in quietem. » Sapienter Cicerone, lib. I *Officiorum*: « Omnino, ait, qui reipublicae praesunt duo Platonis praepcepta teneant: unum, ut utilitatem civium sic teneant, ut quidquid agant, ad eam referant, oblitum commodorum suorum; alterum, ut totum corpus reipublicae curent, ne dum partem aliquam teneant, reliqua deserant. Ut enim tutela, sic procurator reipublicae ad utilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est. Et nonnullis interjectis: « Est proprium munus magistratus, intelligere se gerere personam civitatis, debereque ejus dignitatem et deus sustinere, servare leges, jura describere, et ea fidei suae commissa meminisse. » Idem, lib. III *De Legibus*: « Magistratus, ait, est lex loquens, » sicut vicissim lex est magistratus silens et motus. « Ut cupiditatibus principum et vitis infidi solet tota civitas, sic corrigi et emendari continentia. » Thucydides lib. VI: « Magistratus, ait, est medicus civitatis; » qua ergo arte, cura, sinceritate et fortitudine medicus curat regnum, v. g. phreneticum et invitum, eadem magistratus curet civitatum. Agestilaus, teste Plutarcho in *Lacon*, magistratus officium esse dicebat « erga rebellantes audaciam esse subjectos benevolentia uti; » sicut Virgilius *VI Aeneid.*, principis partes esse dixit:

Parcere subjectis, et debellare superbis.

Agathon dicebat magistratum trium debere meminisse: primo, quod imperet hominibus; secundo, quod secundum leges; tertio, quod non semper imperet: ita Stobaeus, *serm.* 43. Plato, lib. IV *De Legibus*, censet magistratum deferendum non illi qui praecellunt opibus, robore, forma,

principem populi in meliorem partem significari existimant, ut *Isai.* lx, 17, ubi Deus Sionis promittit se iis raturum *וְצִי נִשְׁבַּח* *negeschim*. Sic Aethiopicis *negesch* est regere vel regnare, indeque *negus* ipse notat regem, eorum doctorem *populi munitum*. (Rosenmuller et Ackermann.)

Morax-
ter, de
officio
prelati.

nobilitate, sed iis qui legibus parent maxime, et hac re ceteris in civitate præstant. Cato censuram petens, cum suos competitors videret populo supplices, eumque de more prensantes, exclamavit populo opus esse medico austero, validisque remediis, proinde eligendum non qui blandissimus esset, sed qui inexorabilis, atque hæc dicens, ante omnes censor creatus est. Agnovit populus morbum suum; et eoque Cato plus valuit oburgando, quam ceteri blandiendo, ait Plutarchus in *Apophth. Roman.* Uti enim corpora nostra sine mente, sic civitas sine legibus constare nequit. Solon, interrogatus qualiter civitas bene regi posset, respondit: Si princeps et majores secundum legem vixerint, inquit Valerius. lib. III. cap. IX. Bursum si cives magistratibus obediunt, magistratus autem legibus, ut refert Stobæus, *serm.* 41. iteracitius dicebat et cives non minus oportere pugnare pro legibus, quam pro membris; » quod absque legibus nullo pacto possit esse civitas incolumis, absque membris possit. Ita Laertius lib. IX, cap. 1. Hinc illud Maronis:

Legesque viris, et mentia ponet.

Pittacus Cresos perorantem quod esset maximum imperium, respondit: Ubi leges imperant. Nam ubi summa est legum auctoritas, ibi est minimum tyrannidis. Ita Laertius lib. I, cap. v. Demosthenes civitatis animam esse leges dicebat: Ut enim corpus anima carens cadit, sic civitas nullis administrata legibus sponte sua ruit. Ita Maximus, *serm.* 68. Cleon multo meliorem esse dicebat statum civitatis, quæ licet deterioribus, firmis tamen legibus utitur, quam illius quæ hominis quidem, sed irritis. Ita Thucydides lib. III. Archidamus roganti quinam essent Spartane urbis præfeci, respondit: Leges et legitimi magistratus; censens in republica bene constituta supremam auctoritatem esse legibus deferendam, secundam magistratibus; ac proinde eos legum debere esse tutores et vindices, non dominos, nec dispensatores, hoc est dissipatores. Ludovici XII, Galliarum rex, subpræfectum Aurelianensem, quo familiariter olim erat usus, sepeque injustitias reum liberarat, creatus rex damnavit, dicitur: « Contendi privatus pro amico, regnum autem adeptus leges mihi tuendæ sunt. » Ita *Annal. Franc.*

Divine S. Bernardus, lib. IV. *De Consider.* cap. IV ad *Eugenium Pontif.* eum docet quales debent creare vel formare prælatos: « Qui sint, inquit, in judicio recli, in consilio providi, in jubendo discreti, in disponendo industrii, in agendo strenui, etc., qui questum legationem non æstiment, nec requirant datum, sed fructum. Qui regibus Joannem exhibeant, Ægyptis Moesen, fornicantibus Phineas, Heliam idololatris, Helisæum avaris, Petrum mentientibus, negotiantibus Christum. Qui vulgus non spernant, sed doceant; di-

vites non palpent, sed terreat; pauperes non gravent, sed foveant; minas principum non paveant, sed contemnant; qui cum turba non incedant, nec cum ira exeant; qui Ecclesiam non spoliant, sed emendent. Qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, et crimina corrigant; fama provideant suæ, nec invident alienæ. Qui orandi studium gerant et usum habeant, ac de omni re orationi plus fident, quam suæ industriae vel labori. Quorum ingressus pacificus, non molestus exitus sit. Quorum sermo edificatio, quorum vita justitia, quorum presentia a gratia, quorum memoria in benedictione. Qui se amabiles præbeant non verbo, sed opere; reverendos exhibeant, sed actu, non fastu. Qui humiles cum humilibus, et cum innocentibus innocentes, duros dure redarguant, malignantes coercerant, reddant retributionem superbis. Qui non de dote viduae, et patrimonio crucifixi se vel suos dilare festinant, gratis dantes quod gratis acceperunt, gratis facientes judicium injuriarum patientibus, vindictam in nationibus, inceptationes in populis. » Et cap. vii, librum ita concludit: « Ubi malitia juncta potentia est, aliquid tibi super hominem præsumendum. Vultus tuus super facientes mala. Timeat spiritum iræ tue, qui hominem non veretur, gladium non formidat. Timeat orationem, qui admonitionem contempnit. Cui irasceris tu, Deum sibi iratum, non hominem putes. Qui te non audierit, auditurum Deum, et contra se paveat. » Et paulo ante perfecti Pontificis ideam ita depingit: « De cætero oportere te esse considera formam justitiæ, sanctionis speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, christianorum ducem, amicum sponsi, sponsæ paronymum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, judicem viduarum, oculum caecorum, linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, malorum metum, honorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canoniæ dispensatorem, sal terre, orbis lunæ, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi, Christum Domini, postremo Deum Pharaonis. »

3. ET ERUNT QUASI PORTES CONCLUCANTES LUTUM (id est hostes ut lutum) VIARUM IN PRÆLIO. (Pro fortis, hebraice est גִּבּוֹרִים *gibborim*, id est prævalidi, prepotentes, heroes, gigantes, Gabriele. Ad litteram notat Machabeos, qui sua fortitudine hostes Israelis proculcaverunt quasi lutum) QUIA DOMINUS CUM EIS. — Ita in libris Machabeorum legitimum Judam Machabeum nunquam inisse prælium (excepto ultimo, in quo non legitur orasse; unde et cecidit) nisi prius invocata Dei ope, quam et præstitit Deus; unde misit ad eum Jeremiam Prophetam e limbo, qui daret ei gladium, diceretque: « Accipe sanctum gladium munus

a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel, » II *Malach.* xv, 43. Hinc et Judas Machabæi, id est Machabeus, dictus est ex litteris initialibus versus undecimi *Exod.* cap. xv. מִי כִכּוֹךְ לִי כִכּוֹךְ מִי כִכּוֹךְ מִי כִכּוֹךְ *mi camocha baetim Jehova*, id est quis similis tui in fortibus, Domine? Quod quasi belli tesseram, et victoriae omen in vexillis et insignibus præferebat, uti dixi *Exod.* xv; unde sequitur:

ET CONFUNDENTUR ASCENSORES EQUORUM, — puta duces et milites Antiochi, qui pollebant et gloriabantur equitatu, cum Machabæi pugnantem pedites, uti et David, ceterique pii Judæorum reges, juxta legem *Deuter.* xvii, 16, uti ibi dixi. Unde quanto inferior fuit eorum sors et conditio, quod pedites in equis pugnantem, tanto nobilior illorum de eis ope Dei parta fuit victoria, tanto gloriosior triumphus. Hinc Chaldaeus vertit: *Et fortes domus Israel tritabant interfectos populorum, quasi lutum viarum in bello, et prævia committent; quia verbum Domini erit in auxilium eorum.* Mystice hæc veriora sunt in prælio spirituali, quo Christus et Apostoli debellarunt mundum et tartarum.

ET CONFORTABO DOMUM JUDA, ET DOMUM JOSEPH SALVARO. — *Domus Juda* sunt duæ tribus; *domus Joseph* decem relique, quarum caput fuit tribus Ephraim, filii Joseph, ex eaque prognatus Jeroboam, æque ac ceteri reges Israel. Porro multi ex decem tribubus partim jam ante se junxerunt Judæis, partim postea cum viderunt vel audierunt victorias et triumphos Machabeorum, iis se aggregarunt, ut sub eorum ducatu et presidio incoleres et felices viverent. Ita S. Hieronymus. Mystice, id verius fuit in conversione tam Israelitarum, quam Judæorum ad Christum, quæ inchoata est ab Apostolis, sed perficietur ab Elia et Henoch in fine mundi: tunc enim omnis Israel salvus fiet. Ita Remigius, Lyranus et Arias. Pro confortabo hebraice est גִּבְּרֵי *gibbarti*, id est vires, fortes, robustos, ac quasi Gabriele efficiam. אֲבָרָא *gabar* enim, id est vir fortis fuit, deducitur nomen Gabriel, id est fortis vel fortitudo Dei.

ET CONVERTAM EOS, — ut e locis, in quibus per captivitatem dispersi sunt, revertantur ad avitas in Judea sedes. Unde Septuaginta vertunt: *Et habitare faciam eos; Chaldaeus: Congregabo captivitatem eorum; plenus Figurina: Et reversos collocabo; ac Vatablus: Et conversos habitare faciam.* Hebræum enim הוֹשִׁיבוֹם *hosebotim* est mixte conjugationis, quasi conflatum ex הוֹשִׁיב *hoseb*, id est converti vel reverti fecit; et ex הוֹשִׁיב *hoseb*, id est habitare fecit, collocavit.

ERUNT SICUT FUERUNT, QUANDO NON PROJECERAM EOS, — *g. d.* Erunt sicut fuerunt ante captivitatem, tam Babylonicam, quam Assyriacam. Hinc patet ad litteram loqui Prophetam de Judæis, Israelitis et Machabæis. Idem patet ex nominibus *domus Juda, domus Joseph, Ephraim*, etc.

7. ERUNT QUASI PORTES (hebraice *gibborim*, de

xlv.

quo dixi vers. 5) Ephraim, — *g. d.* Erunt quasi heroes Ephraim, fortiter bellantes bella Domini. Tribus enim Ephraim inter decem tribus erat fortissima; unde et ceteris tribubus continuo dedit reges. Hinc illud *Psal.* lxxvii, 9: « Filii Ebreum intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli. »

LETABITUR COR EORUM QUASI A VINO, — *g. d.* Ex continuo victoriis exsultabunt sicut exsultant qui hausto potenti vino hilarerunt, vel, *g. d.* In præliis erunt audaces, interitii, et quasi leones ignem spirantes, perinde ac si vino generoso oppleti estuarent; uti nunc Kosachi, Hiberni, Hollandi, aliisque gentes vino adusto se impleant ante prælium, ut spiritibus calidissimis æstantes sint audaces, ruantque intrepidi in enses et gladios.

ET FILII EORUM, — *g. d.* Filii nepotes et posterii eorum cernent, audientque patrum et avorum suorum trophaea, indeque exsultabunt in Domino, et ad eadem heroicæ consectanda inciduntur. Sic trophaea Militiadæ Themistocles, Achillis Alexander Magnus, Alexandri Magni Julius Cæsar, Cyri Scipio, excitati sunt ad eadem per heroica facinora consectandum, uti narrat Plutarchus in eorum *Vita*.

8. SIBILABO EIS, ET CONGREGABO ILLOS. — Quasi sibilato congregabo et convocabo eos, vel oves in Jerusalem, tanquam Synagogam; et tempore Christi in Ecclesiam, in qua sibilus erit prædicationis Evangelicæ, inquit Vatablus. Est catachresis: ponitur enim sibilus pro convocazione, quia hæc in ovibus a pastore fit sibilus. Est hendiadys. Unum enim dicitur per duo: « Sibilabo et congregabo, » id est quasi sibilando congregabo. Simili modo ait Isaias, cap. vii, 48: « Sibilabit Dominus musæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, et apud quæ est in terra Assur. » Vide ibi dicta.

9 (1). DE LONGE RECORDABUNTUR MEI, — *g. d.* Judæi et Israelite degentes in remotis locis, ubi audierunt legem Dei, cultum et Synagogam per Machabeos in Judea restitutam, recordabuntur mei, ut me more patrum invocent et colant, ideoque cum illis valentes et gaudentes revertentur in Jerusalem.

10. ET REDUCAM EOS DE TERRA ÆGYPTI ET DE ASSYRIÆ. — Alludit ad captivitatem Assyriacam et Babylonicam, quam fugientes multi ex Israel, profugerunt de more in Ægyptum, ut patet *Jerem.* xlv, *g. d.* Solvam omnem eorum captivitatem exsilio et dispersione, faciendam ut tuti et

(1) Et seminabo eos in populis. » Judæos successive in distissimas regiones penetrasse, plurimos quoque ob jurjurandi observationem in remotiores de fide suspectas urbes a regibus Syriæ et Ægypti missos fuisse, ibique constantes in cultu veri Dei fuisse, historia docet. Insuper historice certum est, multos Judæorum auctori felici conditione fratrum suorum in patriam reversos esse. (Ackermann)

liberi in patriam, et ad me meumque templum et Ecclesiam revertantur. Ita S. Hieronymus, Albertus et Hugo. Hoc facit quod Josephus lib. XI *Antiq.* cap. II, scribit Ptolemaeum Philadelphum, qui post Ptolemaeum Lagi Alexandro Magno in regno Aegypti successit, centum viginti milia Iudeorum ex Aegypto libertate donata in Iudaeam remisit, eaque beneficentia obtinuisse ab Eleazaro pontifice 72 interpretes, qui S. Scripturam ex Hebraeo in Graecum idioma transferrent (1).

AD TERRAM GALAAD ET LIBANI ADDUCAM EOS. — Puta in Iudaeam, cuius limites sunt Libanus et Galaad. Myslice, ad Ecclesiam Christi quae fortis est, pulchra et amena, uti Galaad, Libanus, omnisque terra Iudaeae olim promissa. Unde sequitur: « Et non inveniatur eis locus, » scilicet, sufficiens, q. d. Maxima erit multitudo fidelium, tum Iudeorum sub Machabeis, tum potius christianorum sub Christo et Apostolis, adeo ut templa et Ecclesiae eos non capiant; *secundo*, Sanchez, q. d. non inveniatur eis locus, id est ipsi non inveniatur in loco pristino, puta in Aegypto et Assyria, quia redibunt in Jerusalem. Unde Septuaginta vertunt: *Non relinquatur ex eis ultus*; ut sit hypallage. Anagogice, q. d. Locus fidelium post mortem, postque diem iudicii non inveniatur amplius in terra, quia ipsi ex terra transferentur in caelum.

Vers. 11. **II. ET TRANSIBIT IN MARIS FRETU.** — Varii varie haec explicant. *Primo*, Iudaei haec ad litteram expectant, quasi portenta futura et facienda a suo Messia, sicut facta sunt a Mose in mari Rubro. Verum quia ad litteram hoc capite agit de Machabeis, eorumque victoriis portentosis, hinc *secundo*, magis appositum huic loco est, quod

(1) Quod autem nulla Hebraeorum et Babyloniarum et Persiarum recedendorum hic mentio fit, mori nonnullis, ut hoc oraculum ayo Zacharia antiquiori assignarent, atque a vate quodam, qui Ahaso regnante, brevi, postquam deportati a Teglathphalassare in Assyriam regni Israelitici civis fuissent (IV Reg. xv, 29), consignatum existimarent. (Vide Bertholdi *Isaogoe*, part. IV, pag. 1714-1724.) Verum cum Iudeorum quidem illorum qui a Nabuchodonosoro Chaldaeam abducti fuissent, pars magna Zachariae aetate in patriam rediisset, Rubenitis autem, Gaditis et Manassitis a Pinalo et Teglathphalassare, Assyriorum regibus, in exilium ducti, eo tempore nondum reversi essent, in prompta est ratio, cur Zacharias de solis Israelitici restandis verba faciat. Nominatur igitur *Assyria* quod decem tribus olim in Assyriam essent deportatae, IV Reg. xvii, 6; *Aegyptus* vero, quod multi Israelitarum eversa sua republica a Salinasare sponte sese eo contulissent, quemadmodum multos Iudeorum metu irruptionis Chaldaeorum, Aegyptum migrasse legitimus, Jerem. xlvi, 7. De solis regni Israelitici civibus quondam reditibus hic agi; apparet quoque ex altero huius versus hemistichio, quo Jova promittit, se exules per Assyriam et Aegyptum dispersos reducere velle ad *terram Galaad et Libani*, quo decem tribuum regnum describitur, quod in duas commode partes disperiri potuit, Trans-Jordanem quae *Gileaditis* vocatur et Cis-Jordanem quae quondam Libani montibus vallabatur, hic *terra Libani* dicitur, ut Deut. m. 28. (Rosenmüller.)

tradunt Hebraei prisci apud S. Hieronymum ac Remigium et Hugo, scilicet Iudaeos olim in Graeciam profugos, tempore Machabeorum, per fretum angustum Propontidis, quod Chalcedonem a Constantinopoli segregat, transisse, ut redirent in Iudaeam. Verum nusquam legitimus fretum hoc percussum et siccatum a Deo, ut Iudaei sicco pede pertransirent. *Tertio*, alii putant hic notari Alexandrum Magnum, qui cum exercitu mare Pamphylicum sicco pede transmisit, pergens contra Darium et Persas, teste Josepho lib. II *Antiq.* cap. vii. Verum hoc viris doctis fabulosum videtur; et Josephus, licet id ex aliis referat, non tamen approbat. Adde, quid hoc ad Iudaeos et Machabeos? Dico ergo esse hic continuum metaphoram sive allegoriam, qua sub schemate miraculose transitus Hebraeorum per mare Rubrum duce Mose, et per Jordanem duce Josue in terram promissam, describit similem non mirabilem, sed mirabilem transitum Iudeorum toto orbe dispersorum per maria et gentes, felicemque reditum in Iudaeam, cum audierint ejus felicitatem, et victorias partas a Machabeis, q. d. Pacem ut Iudaeis in Jerusalem redeuntibus omnes viae, maria et flumina sint pervia; removebo omnes obices et obstacula, adeoque si opus sit, siccabo mare et flumina, ut siccavi sub Mose, quando ipse virga percussit mare Rubrum, et sub Josue, quando confudi, divisi et siccavi profunda fluminis Jordanis; quin et humillabo superbiae atque potentiam Assyriorum, Aegyptiorum, aliarumque gentium hostilium, faciamque ut populum meum refinere, aut ab hoc suo in Iudaeam reditu remorari nequeant. Nominat praesertim alios Aegyptios et Assyrios, quia hi olim crebro et vehementer afflixerunt Israelitas, eosque in captivitate detinuerunt. Ita Theodoratus.

Myslice, id verius in Apostolis et eorum sequacibus, quibus Deus viam patefecit per terras, maria et flumina, ut omnes gentes adirent, easque Ecclesiae aggregarent, juxta illud *Isai.* xi, 13: « Et desolavit Dominus linguam maris Aegypti, et levavi manum suam super flumen, in fortitudine spiritus sui: et percussit eum in septem rivis, ita ut transeant per eum caelesti » sicut Augusto Caesari Aegyptum invadenti, viamque per suam monarchiam in Aegyptum et in omnes gentes Apostolis pandenti, contigit, uti ibidem dixi. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Clarus, Arias, Vatablus et alii. Ubi nota: In Scripturis hostes Ecclesiae Dei vocantur Aegyptii, Assyrii, Chaldaei: quia hi fuerunt hostes Israelis et Synagoga, quae fuit quasi aurora et parens Ecclesiae.

CONFUNDENTUR OMNIA PROFUNDA FLUMINIS. — « Fluminis, » id est fluminum, sed dicitur « fluminis, » quia alludit ad Jordanem siccatum a Josue. Dices: Quid est « confundentur »? Respondent aliqui, confundentur, id est commiscebuntur, sicut Jordanis aquae a Josue divise, repressae, et in unum locum coactae, intumescentes, confusa, id est

commixtae et convolutae fuerunt. Verum hebraeo *בִּרְשׁוֹ* hoc non significat commiscere, sed confundere, id est pudescere. Dico ergo flumina metaphorice dici confundi et pudescere, cum suo alveo, quasi suo jure et hereditate, contra naturam privantur, ab eoque vi expelluntur. Si enim haberent sensum et sanguinem, utique ob hanc vim et quasi ignominiam, quam invite subeunt, pudescerent et erubescerent, quod suo loco violenter excedere, eumque hominibus, puta Hebraeis, cedere debeant. Sic iratus confunditur, cum iram suam explere nequit, dum illa a potentiori quopiam reprimatur et refringitur. Confundi ergo profunda fluminis, idem est quod siccare. Unde pro confundentur, Pagninus et Tigurini vertunt, *siccantur*, et ita ad verbum punctum est in Hebraeo. Nam *הִבְשִׁיעוּ* *hibiseu* proprie dicitur *ibese*, id est siccare; Noster deduxit

a *בִּרְשׁוֹ* hoc, id est confundi, pudescere; quare videtur legisse alio puncto *הִבְשִׁיעוּ* *hibiseu*, quare quomodo ordines verborum imperfecerunt apud Hebraeos saepe confunduntur, ac verba quiescentia *אֵין עִוָּן*, tempora sua mutantur a quiescentibus, *pe vid*, puta *hes a tabas*, et sic *hibiseu* ponitur pro *hibiseu*. Simili modo dixit Joel cap. i, 10: « Confusum est vinum, » et vers. 12: « Vineae confusa est, » id est siccata est, elanguit, evanuit. Vide ibi dicta. Jam sensus hujus loci est in quem paragrapho praecedenti assignavi.

12. CONFORTABO EOS IN DOMINO (in me, qui sum Dominus. Est enallage, loquitur enim Deus de se in tertia persona) ET IN NOMINE (id est virtute, potentia et invocatione) EIUS AMBULABUNT, — pergentque strenue et alacriter Iudaei in Jerusalem, fideles in Ecclesiam militantem in terris, et ex ea in triumphalem in caelis.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Predicit Zacharias, cap. x, Machabeorum bella et victorias, mino prosequitur ea quae post illos futura erant, et obventura Iudaeis per Romanos. Hoc ergo capite predicit exitum Hierosolymae, puta urbis et templi, iam recens a Zorobabele, et Jesu filio Josedeae edificati, faciendum a Tito et Romanis, idque ob Iudaeorum peccata, praesertim ob Christum ab eis occisum et venditum triginta argenteis. Quare ut peccata haec declinet, itaque exitum evadant, Deus Zachariam facit pastorem, id est, prophetam, ut futura haec predicat et comminatur. Hinc, vers. 7, sumi duas virgines pastoritias, quibus quasi pastor, populum quasi gregem suum pascat: unam vocat Decus, id est, decoram et gratiosam, alteram vocat Funiculum, quo constringuntur rei. Haec representat duos providentiae et regiminis modos, quibus uti in Israele regendo jam antea usus, ita deinceps usus erat Deus, nimirum virga cui nomen Decus representat amorem, promissa et beneficia, quibus Deus Iudaeos ad se uti olim allegerat, ita per Machabeos eorumque posteris allectatus erat usque ad Christum, qui fuit decus, amor et gratia Dei patris effusa in Iudaeos: altera cui nomen Funiculus, representat timorem, minas et plagas, quae Deus post priorem amoris virgam in morte Christi contractam, pavit et exagitavit Iudaeos per Romanos; quam quia pariter spreverunt, hinc et hanc virgam confregit, eosque abs se abiecit, omnemque eorum curam ac providentiam deposuit; ac eos vers. 15, pastori stulto, cuius formam et habitum induere jubetur Zacharias, ut eum populo representet, pascendos, id est pendendos et maclandos, tradidit (1).

1. Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas. 2. Ulula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt: ululate, quercus Basan, quoniam succusis est saltus munius. 3. Vox ululatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum: vox rugilus leo-

(1) *Primo* continuatur in hoc capite consilium divinum circa religionem Christi, sed quoad Iudaeos, christianam fidem respuentes, scilicet propheta de bello Romano- rum contra Iudaeos. Omnia etenim Zachariae vestigia inter se concatenata sunt, nam postquam capite 15, 1-16, agit de Graecorum victoriis qui de Peris triumpharunt, cap. 15, 11-17, de Machabeorum temporum, qui Graeco- Syrios debellarunt; ad eamdem Romanorum decurrit, quod huius prophetae characteribus et historia documentis confirmatur. Nam historia docet Romanos in terram Iudaeam a Septentrione irruptionem fecisse, illamque exercitibus suis implevisse, usque dum Hierosolymam everterint, Iudaeosque per totum orbem disperserint. Proponitur igitur Iudaeis materia lamentandi, *primo*, ob urbem Iudaeae subjectionem et Hierosolymae excisionem, 1, 2; *secundo*, ob principum et praesidum perditionem, 3; *tertio*, ob Dei punitionem, 4; *quarto*, ob mutuum sumorum et infirmorum eadem, ubi causam addit, cur populum suum rectoribus malis permitat Deus; quod iratus illi ob sua peccata nulla erga eum clementia mittit, 5-7. *Secundo*, ut peccata haec declinet, etc. Vide supra Cornelli Synopsin. Longe a vero sensu et contextu discedere nobis videtur